

atque ita mœchia imputatur ei. Judæi enim interrogarunt de dimissione perfecta, quæ duo includit: separationem thori et cohabitationis, et separationem vinculi: quoad primum, Christus respondit, licitam esse separationem thori et cohabitationis ex justa causa fornicationis; quoad secundum negavit fieri posse separationem vinculi, dicendo, *qui dimissam duxerit, adulterat*: non adulteraret autem, si ob priorem fornicationem separatio vinculi inducta fuisset: hinc etiam Apost. *l. c.* ait; mulierem dimissam debere manere innuptam.—*Ad II. Can. 17.* non reperitur in S. Ambrosio, et procedit secundum legem Julianam: at secundum legem Christi æqua est ratio viri et mulieris, ut idem S. D. docet in *cap. 16. Luca*; *Can. 23.* cit. hunc habet litteralem sensum: si ante nuptias concubisti cum sorore uxoris tuæ, neutram habere potes; istam propter impedimentum affinitatis: illam propter impedimentum publicæ honestatis. Uxori tamen ignaræ, datur facultas transeundi ad alias nuptias; viro autem delinquenti negatur ex *Can. 22. hi verò 32. q. 7. Can. 6.* cit. procedit de nuptiis post mortem conjugis contrahendis, sicut *c. 1. h. t.* Vide Bellar. et alios TT. polemicos, ad quos quæstio ista spectat.

2.^o Matrimonia consummata judæorum et aliorum infidelium non possunt dissolvi.—I. Per *libellum repudii*, quia iste sublatus est à Christo; licet in lege Moysis non tantum permissus, sed etiam licitus fuerit ex causa generali *fæditatis* (*Deut. 24.*), ut communior tenet: quia etsi duritia judæorum causam libello dederit, tamen Deus in his circumstantiis dispensavit, ut uxor licite et valide dimitteretur et alia deduceretur. Oppositum tenet S. Hieron., Lyran., S. Bonav., Sot. etc.—II. Per *privatam* vel *publicam potestatem* Papæ, aut principis laici: quia Papa jurisdictionem non habet in infideles: jurisdictioni autem temporali talem vim datam esse contra jus naturale, et divino nullo textu, aut traditione constat.

3.^o Si alter infidelium conversus est ad fidem, matrimonium legitimum in infidelitate contractum, non consummatum, solvi potest per professionem religiosam, sicut matrimonia rata infidelium.

4.^o Si alter manens in infidelitate, citra contumeliam Creatoris nolit cohabitare conjugi converso ad fidem, dissolvitur matrimonium consummatum; non tamen citius, quam conversus ad fidem ineat aliud matrimonium cum fidei; ita ut contractio secundi sit dissolutio primi.—1.^a pars est comm. ex Apost. *1. Cor. v. 15.*, ubi dicit fidelem, à quo infidelis discessit, non esse subjectum servituti seu legi conjugali; ergo liberum habet transitum ad alias nuptias, ut ex perpetua traditione observatur in Ecclesia, et docetur *can. 3. et seqq. 28. q. 1. et c. 7. 8. h. t.* Nam ob favorem fidei Christus hoc privilegium conjugii converso ad fidem concessit, si infidelis nolit ei cohabitare sine contumelia Creatoris, v. g. directè blasphemando nomen Christi, ejusque fidem, vel indirectè, inducendo fidelem ad peccatum. Hoc tamen privilegium non reperitur concessum, si ex fidelibus alter transivit ad paganismum, vel judaismum, etsi ei cohabitare nolit sine injuria

Creatoris, quia matrimonium fidelium consummata sunt omninò insolubilia.—2.^a Pars est S. D. in *4. d. 39. q. un. art. 5. S. Bonav., Sanchez* citt. contra Innoc., Host., Abb. etc. docentes, matrimonia tunc statim dissolvi, dum infidelis vel absolutè non vult cohabitare, vel non aliter, quàm cum contumelia Creatoris.

Ratio est, quia non apparet, quando tale matrimonium solveretur: non tempore baptismi, quia per hunc conjugia non solvantur (*c. 2. h. t. Can. 1. si quis, 28. q. 2.*); non tempore intermedio, quia si alter desistens à perfidia convertatur, alter prius ad fidem conversus tenetur eum recipere (*c. 8. h. t.*); ergò superest, ut matrimonium istud dissolvatur, dum contrahitur novum matrimonium contrarium priori, et cum eo impossibile; sicut in physicis vetus forma expellitur per novam, et generatio unius est corruptio alterius.—His non obstat textus Apostoli *1. Cor. 7. v. 15. et Can. 2. cum seqq. 28. q. 1. et Can. fin. 28. q. 2.*; nam ex textibus istis id solum colligitur, quòd fidelis justam habet causam resiliendi; non verò quòd per ipsam alterius perfidiam prius matrimonium dissolvatur. Unde si, v. g. judæa convertatur, et vir ejus judæus aliam ducat, et deinde convertatur ad fidem, antequàm illa fidei nubat, reddi debet primæ uxori ad fidem conversæ; quia cum primum matrimonium non fuerit dissolutum, secundum jure naturali non valuit; et consequenter subsistente primo, judæus et judæa ad fidem conversi in eodem remanere debent per *c. 8. h. t.* Talem casum à Sac. Cong. Conc. decisum legi Romæ 1730.

An verò in illo casu, quo conversus ad fidem habet justam causam resiliendi à conjugè infideli, matrimonium resolvatur per professionem religiosam, controvertunt DD. Negant Abul., Palao, Schmalz, etc.; sed veriùs affirmant S. Bonav., Sanchez. Salmant. cum citat. Nam professio religiosa est fortior matrimonio rato, cum illud dissolvat; sed matrimonium in infidelitate consummatum solvitur per sequens matrimonium ratum, à converso ad fidem initum; ergo multò magis solvitur per professionem religiosam, juxta tritum illud: *Si vinco vincem te, multò magis vinco te.*

Ceterum eo casu, quo prius matrimonium dissolutum est, infidelis non tantum valide, sed etiam licite contrahit novum matrimonium: quia præceptum divinum id prohibens non extat, nisi quoad hoc, ne infidelis citius contrahat, quàm conversus ad fidem: quo sensu explicatur *cap. 7. h. t. c. fin. 28. quæst. 2.*

5.^o Si infidelis sine contumelia Creatoris vult cohabitare fidei, non dissolvitur prius matrimonium: ita docet Apostolus *1. Cor. 7. v. 12.* et rationem dat: quia per conjugem fidelem sanctificatur conjux infidelis: idem eruitur ex *c. 7. et 8. h. t.*—Excipe, nisi cohabitatio fidelis cum infideli sit valde periculosa, uti regulariter est uxoris conversæ cum judæo (*c. 10. Judæi 28. q. 1.*), quod tamen periculum non afferunt alii infideles: sicut etiam hodie dicuntur Æthiopes, et inde neophyti cohabitare conjugibus infidelibus.

Hæc de dissolutione matrimonii quoad vinculum. Nunc de divortio seu dissolutione quoad thorum et cohabitationem: cujusmodi divortium est duplex: *Voluntarium*, quod fit ex mutuo consensu partium, dum status religiosus vel Clericalis per sac. Ordines assumitur; et de hoc in præsentibus non agitur, sed in lib. 3. *tit. de convers. conjug. Coactivum*, dum conjux innocens, altero invito, separatur, vel in perpetuum ex causa perpetua fornicationis, vel ad tempus ex causa temporalis; uti est *hæresis*, vel *apostasia à fide*, *periculum animæ* vel *corporis*, *sævitia* aut *furor mariti*, et *molesta cohabitatio*.

123. Q. IV. *An, et quomodo ob causam fornicationis seu adulterii fieri possit divortium, quoad thorum et cohabitationem?*

R. 1.^o Ex causa adulterii non tantum vir innocens sed etiam uxor innocens divertere potest. 1.^a pars habetur Matth. 5. et 19: *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis etc. c. 4. 5. 8. h. t.*—2.^a pars habetur c. 2. *h. t.* et *Can. 5. idolatria 28. q. 1. ibi: Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias possit sine crimine, et vir uxorem dimittere, et uxor virum.* Ratio utriusque est, quia jus naturale dicit, quod frangenti fidem fides non sit servanda; cum omni contractui, adeoque etiam matrimonio insit tacita conditio, *si alter fidem servaverit*: sed ratio ista prorsus eadem æqualiter procedit in viro innocente, ut ab adultera, et in muliere innocente, ut ab adultero separari possit; ergò.

Dices:—I. Libellus repudii fuit concessus tantum viris, et ideo Christus *loc. cit.* tantum loquitur de viro.—II. Adulterium uxoris est gravius; ergò non est eadem ratio.

R. *Ad I.* Divortium in lege Christi non imitatur in omnibus libellum repudii; Christus vero, quia interrogatus fuit de uxore dimittenda, super hoc respondit, tacite innuens idem sentiendum de viro dimittendo, sicut Apostolus I. Cor. 7. v. 12. docet mulierem discedentem à viro debere manere innuptam; ergo uxor ob adulterium mariti potest ab eo recedere.—*Ad II. N. C.* Nam hic non attenditur gravitas delicti, sed fractio fidei, quæ fit tam in viro, quam in uxore adulterante.

2.^o Adulterium, ut sit causa sufficiens divortii, debet esse formale, non materiale, completum in sua specie, voluntarium, probabilius sine gravi injusto metu patratum, invito altero conjuge factum; secus si iste expressè consentiat, vel tacite non prohibendo, cum facile posset (c. 6. *de eo, qui cognov.*), plenè probatum, saltè per violentas præsumptiones, de quibus duo testes deponant. Nam hic versamur in materia odiosa, adeoque adulterium strictè est accipiendum. Ceterum vir non censetur consentire in adulterium uxoris, si custodes et testes criminis constituat, vel uxorem è domo ejiciat, vel ei debitum neget, et ista fornicetur, c. 4. *h. t. Can. 3. itane 33. q. 2. l. 43. ff. de rit. nup.* ibi: *Neque ignoscendum est ei, quæ obtentu paupertatis, vitam turpissimam agit*; nam tali casu contra maritum agere, non fornicari debet. Cessat autem causa adulterii, si et altera pars adulteret (c. 3.

h. t. c. fin. de adulter), quia adulterium adulterio compensatur, et paria delicta, putà quoad interesse civile, mutua compensatione tolluntur. Item si injuria innocenti illata remittatur per reconciliationem expressam vel tacitam; ut si vir adulteram domi retineat, affectu maritali tractet, v. g. cum ea comedendo, ludendo, debitum petendo etc. Hac remissione facta, si pars innocens cadat in adulterium, dat alteri causam sufficientem divertendi; neque prius adulterium, utpote condonatum, ei opponi potest, licet gratitudo suadeat reciprocam remissionem.

Dices: Innocens tenetur adulterum dimittere; nam per *Can. 1. sicut 32. q. 1. fatuus est et injustus, qui retinet conjugem meretricem; nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris, et ejus peccati est particeps (c. 3. de adult.)*; ergo injuriam adulterii remittere non potest.

R. *N. A.* ex *Can. 5. et seq. 32. q. 1.*; quia tutius est adulterium non accusare (c. 25. §. *illud de jurej.*), et favori suo quisque renuntiare potest. *Ad pr.* Jura justa procedunt in casu scandali, dum uxor monita, et non resipiscens, sine scandalo non potest à marito detineri.

3.^o Si adulterium certum et simul notorium est notorietate facti aut juris, innocens propria auctoritate divertere potest à nocente. Hoc sensu procedit c. 4. 6. *h. t. c. 9. de sponsal.* à sens. contr. *Can. 5. de Benedicto 32. q. 1.*; nam innocens in tali casu non dicit sibi jus, sed potius utitur jure sibi ex natura matrimonii concesso: et aliunde in notoriis raro necessaria est auctoritas judicis, nisi in causis gravissimis, ut in solutione matrimonii quoad vinculum (*Can. 1. secularis 33. q. 2. et c. 3. h. t.*)—II. Si de adulterio certo non constat, seu magna est præsumptio, divortium fieri nequit, nisi auctoritate judicis Ecclesiastici, plenè probato delicto: hoc sensu procedit c. 9. *de sponsal. c. 4. h. t.*; nam per delictum incertum nemo privari debet jure certo; ergò nec conjux, donec coràm giudice Ecclesiastico probetur plenè adulterium.—III. Si adulterium parti innocenti est certè cognitum, non tamen publicè notorium, practicè loquendo divortium faciendum est auctoritate judicis Ecclesiastici (S. D. in 4. *d. 35. q. 1. a. 3.*), quia aliàs sequeretur scandalum; cum divortium saltè in foro externo non permittatur, nisi adulterium sit notorium vel plenè probatum. Si autem hoc probari nequeat, pars innocens certa de alterius adulterio cohabitare quidem tenetur, non tamen debitum reddere, nisi velit; quia frangenti fidem fides non est servanda; neque obligatio est parendi sententiæ judicis, utpote fundatæ in falsa præsumptione facti.

4.^o Facto legitime divortio, conjux innocens non tenetur nocentem, etiam ut emendatum recipere, quia pœnitentia et emendatio jus conjugale non restituit. At de æquitate, si id suadeat causa magni boni promovendi aut mali avertendi, vel si injuria saltè tacite remissa est, facienda erit talis receptio, saltè ex debito honestatis, si non justitiæ, ut insinuat *Can. 7. quod 32. quest. 1. et Can. 7. ego 34. quest. 1. et c. 3. de adult.* Econtra si velit pars innocens, tenetur ad eam nocens redire, ne ex delicto suo commodum reportet, et præjudicet juri

innocentis. Unde nocens non potest statum mutare, assumendo Religionem vel Sac. Ordines, nisi nulla spes reconciliationis affulgeat: ut si nocens aliquoties eam petat, et innocens semper deneget; quia tacite innuit, quod nullo unquam tempore reconciliari velit: tunc mutato statu, nocens revocari non poterit. Pars verò innocens quando cumque pro placito suo statum mutare potest, quia juri et servituti alterius non alligatur.—II. Si facta per sententiam divortio, pars innocens fornicetur, non tenetur recipere nocentem ad solam hujus petitionem, ut docet S. D. in 4. d. 35. q. un. a. 6. Salmant. etc.; quia pars nocens per sententiam privata est jure proximo ad actus conjugales. At per implorationem officii judicis redintegrandum est matrimonium: tum quia causa divortii venit ad non causam; tunc autem agenti non officit exceptio rei judicatae (*lib. 2. ff. de cond. sine caus.*) Præter adulterium dari etiam alias causas, ob quas divortium fieri possit quoad thorum et cohabitationem, definit Trid. sess 24. Can. 8. Unde:

124. Q. V. An, et quomodo ob adulterium spirituale seu hæresim aut apostasiam à fide fieri possit divortium?

R. 1.^o Hæresis est causa sufficiens divertendi (*c. 6. 7. h. t. et Can. 5. cum seq. 28. q. 1.*) Nam si periculum est perversionis, jus naturale dictat et præcipit separationem: si verò non est periculum, jus permittit in odium hæresis recedere ab hæretico.—2.^o Hæresis nec cum hæresi, nec cum adulterio compensatur; nam per hæresim non infertur injuria mutua conjugibus, sed Deo: per adulterium verò fit injuria conjugibus; ergo licet adulteria mutuò compensari possint, non tamen hæreses.—3.^o Si ob hæresim alter conjux propria auctoritate divertit, altero resipiscente, tenetur ad eum redire; quia hæresis per se non est causa perpetui divortii, sed temporalis, quo cessante causa, hæresis cessare debet. At si hæreticus per sententiam condemnatus est, divortium est perpetuum, quia sententia ista privat omnibus juribus; ergo et jure conjugali (*c. 6. h. t. c. fin. de hæret. in 6.*), quo casu, si catholicus transeat ad religionem, ab altero resipiscente revocari non poterit (*c. fin. de conv. conj.*): at si maneat in sæculo, licet forsitan de rigore juris non teneretur resipiscentem recipere, tamen de æquitate videtur matrimonium redintegrandum, ut colligitur ex *c. 7. h. t.* Nam causa divortii perpetui non est, nisi sola fornicatio à Christo assignata, utpote contraria fidei conjugali: hæresis verò non videtur esse causa divortii perpetui, nisi interim catholicus statum religiosum assumat: quo sensu explicatur *c. fin. h. t. conformiter c. fin. de convers. conjug. et c. fin. de hæret. in 6.*

125. Q. IV. Quæ sint aliæ causæ, ex quibus fieri possit divortium?

R. Seqq:—1.^a Periculum animæ, dum alter conjugem inducit grave peccatum: v. g. in sodomiam, veneficia, latrocinia etc. (*arg. c. 5. idolatria 28. q. 1.*) Nam jus naturale jubet vitare periculum animæ. Sublato tali periculo, cessat divortium, cum sit temporale. At si alter conjugum peccet, non tamen aliud inducat in peccata, non est causa

divertendi (*c. 2. h. t.*)—2.^a Periculum corporis, dum ex cohabitatione alteri imminet grave damnum corporale, ut infectio ex lepra et simili morbo; vel si maritus exerceat latrocinia, et uxor timeat, ne cum illo participet in delicto et supplicio.—3.^a Sævitia aut furor mariti, si maritus uxorem suam capitali odio persequatur, mortem aut mutilationem seriò attentet, vel minetur, vel veneno insidietur etc. Modica tamen verberatio, cum permissa sit marito correctionis causa, non dat causam divertendi. Gravis verberatio censetur, si sanguinolenta sit, non tamen ex naribus; si vulnera relinquat, abortum causet etc.: idque mensurandum est respectivè; quia minor verberatio sufficit ad probandam sævitiam mariti, si uxor nobilis, honesta et publica sit, quàm si plebeja, rixosa, turpis etc. Hæc pariter procedunt, si uxor sæva sit in maritum; quia et contra hanc maritus de jure naturali se tueri potest: præsertim si insidiæ vitæ struantur, licet sac. Canones loquantur tantum de sævitia mariti, quia hæc frequentior est: ergò ex hac causa maritus divertere potest.—II. Divortium ex causa sævitiae faciendum est auctoritate judicis Ecclesiastici (*arg. c. 1. 8. 13. de restit. spoliat.*), nisi sævitia sit notoria, vel periculum sit in mora, ut plerumque esse solet. Cesante sævitia, et data cautione per fidejussores aut pignora, vel his deficientibus, per juramentum, uxor marito restituenda est, nisi ob capitale odium periculum pendeat in futurum, et tunc uxor petere potest sententiam divortii perpetui: quo casu pars innocens mutare statum potest, assumendo religionem: quæ tamen mutatio in divortio temporali nec nocenti, nec innocenti sine consensu alterius conceditur, cum præjudicet juri conjugali, quod per tale divortium non tollitur.—III. Furor superveniens, si nullum nocumentum alteri parti afferat, non est causa divortii, sed compassionis, licet cohabitatio sit molesta (*Can. 18. si uxorem 32. q. 5.*) At si furor vel amentia periculosa sit alteri, interim fiet separatio, donec furor curetur. Si verò ex medicorum confessione curatio desperetur, pars altera statum mutare potest, quia adest causa divortii perpetui, non absolutè, sed conditionatè; nam si præter opinionem conjux furiosus ad sanam mentem rediret, revocare posset conjugem ex religione; quia sententia lata est ex errore et falsa furoris perpetui existimatione: talis autem sententia substat revocationi. Secus accidit in divortio ex causa perpetuæ sævitiae; quia tunc conjux sævus in pœnam delicti privatur jure conjugali; et consequenter revocare non potest conjugem ex religione, etsi totaliter sævitia cesset.

126. Q. VII. Apud quem, facta divortio, proles educari debeat?

R. Apud innocentem: et quidem apud matrem expensis patris, et apud patrem expensis matris locupletis, nisi pater minus idoneus esset ad proles nutriendas (*Auth. si pater C. de divortio facto, Nov. 117. c. 7.*) Hodie servanda est consuetudo locorum; id verò maximopere curandum, ne proles educetur apud conjugem hæreticum vel apostatam, sed apud catholicum, ut educatio illius sit in gloriam Dei et animæ salutem.